



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. Quinam, & quomodo, revocare possint alienationes rerum  
Ecclesiasticarum illegitimè factas, & repetere res Ecclesiæ ita alienatas?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## SECTIO IV.

## De revocatione alienationis, &amp; repetitione rerum alienatarum, ac penis alienantium rē Ecclesie contra Canones?

## §. I.

Quinam, & quomodo, revocare possint alienationes rerum Ecclesiasticarum illegitimè factas, & repetere eas Ecclesie ita alienatas?

Respondetur primò, quòd à quocunque Prælato, vel Rectore Ecclesie, qui auctoritative cooperatus est, vel subscripsit alienationi illegitimè factæ, revocari ea debeat, & possit, & res illegitimè alienata repeti, etiam ab illo ipso Prælato, qui rem talem illegitimè alienavit (si tamen ab eo administratio rerum Ecclesie nondum ablata sit) vel ab ejus successore, etiam si juraverit, se non repetiturum alienata, cum juramentum hoc tendens contra utilitatem Ecclesie, nullum sit, & non possit esse vinculum iniquitatis *c. Quanto 18. De jureju.* (quamvis consultius sit in tali casu, ut alius pro Prælato, qui juramentum tale fecit, hanc alienationem revocet) aut alio modo confirmaverit (cum confirmatio talis in forma communi nullum valorem, de novo tribuat actui, de jure nulli) & si damnum passa fuerit Ecclesia per talem illegitimam alienationem, damnum omne ex propriis suis bonis reparare debeat; qui illegitimè alienavit; nisi convenire illum malit Ecclesia, qui rem alienatam detinet, quod facere potest, cum in tali casu duæ actiones

Ecclesie competant, personalis una contra Prælatum malè alienantem, & realis alia, contra possessorem rei alienatæ, ita ut penes Ecclesiam sit electio, quam actionem instituere velit, & si damnum omne per rei alienatæ restitutionem reparatur, ultra agere actione Civili non possit contra Prælatum malè alienantem: potest tamen is, qui emit rem taliter malè alienatam, & possidet, compelli etiam ad restituendos fructus, exinde perceptos (deductis tamen melioritatibus, aut aliis necessariis expensis) ita tamen, ut illi postmodum actio contra Prælatum malè alienantem competat, ad pretium recuperandum, si bona fide, & sine dolo rem emit, non autem contra Ecclesiam (nisi Prælatum non sit solvendo ex propriis bonis) quo in casu tenebitur Ecclesia, in quantum locupletior exinde facta est, cum æquitas non permittat fieri aliquem cum damno alterius locupletiozem. Quòd si verò malà fide rem talem Ecclesie emitter, in penam amittit pretium, quod exposuerat, & hoc Ecclesie accrescit. *in. v. l. Lubentis 14. Cod. De SS. Ecclesiis.*

Respondetur secundò, in defectum eorum, qui ex officio res Ecclesie illegitimè alienatas reperere debent, & ipsam alienationem revocare, si hi nolint, aut non possint revocare, & repetere, quilibet Clericus illius Ecclesie, ad rei illegitimè alienatæ restitutionem, agere potest, *c. Si quis 6. h. t. junctà Glossà V. Personis*, ubi etiam dicitur, quòd Laici Parochiani admittendi sint ad restitutionem hanc urgendam, si Clerici officium suum negligant; præferendi tamen sunt ejusdem Ecclesie Clerici Parochianis

PPP 2 Laicis,

Laicis, & Clericis extraneis, quibus jus agendi in defectum aliorum ad repetenda male alienata conceditur, cum de jure publico læso quilibet admittatur.

## §. II.

*An, & quando Ecclesia læsa ob alienationem rei Ecclesiastica competat beneficium restitutionis in integrum, & qua sint pœna male alienantium rei Ecclesiasticas, aut male accipientium?*

**Q**uod petere possit Ecclesia ob rei Ecclesiasticæ licitè etiam factam alienationem, si postmodum enormiter lætam se fuisse comperiat, restitutionem

in integrum, ex c. *Ad nostram* 11. h. *in junctâ* Glosâ *V. enorme* patet. De qua restitutione in integrum Ecclesiæ concedenda, præsertim intra quod tempus videri potest *Tit. 41. l. Libri Decretalium*.

Ad pœnas quod attinet, contra Sacrosanctos Canones rem Ecclesiæ alienantem, & male alienatam recipientem, ex dictis capitulis §. patet, quod excommunicatio uterque incurrat, nisi statim, vel intra præfixum à Prælato Ecclesiasticum tempus alienationem talem revocaverit, & res alienatas restituiverit. Vide c. *Supra* 6. h. 2. & can. *Apostolicos* 13. §. *Quædam* *Caus. 12. q. 2.*

## TITVLVS XIV.

## DE PRECARIIS.

## §. I.

*De contractibus in genere.*

**Q**uæ hoc §. dicuntur melius ex Theologia aut jure Civili desumuntur.

## §. II.

*De contractu Precarij.*

**P**recarium est species quædam liberalis, & gratuiti contractûs, quo precibus petentis conceditur utendum aliquid, quamdiu is, qui concessit, patitur, sive quamdiu non revocat c. 3. h. 1. Differt à donatione, quod qui donat sic dat, ut non recipiat amplius, & traditione factâ revocare nequeat, nisi in certis quibusdam casibus à jure expressis; Pre-

carium verò ita conceditur, ut per usus quidem rei transferatur in alium, non autem dominium, & illud iterum repeteri possit; à commodato verò differt, quod ad specialem usum, vel certum, & definitum tempus expressè, & tacitè concedatur commodatum, quod tempus finitum, aut certum præstitum revocari non potest commodatum; Precarium verò nec ad certum tempus determinatum, nec ad certum usum ordinariè conceditur, & quocumque tempore revocari potest. Et hinc colligitur, quæ ad substantiam Precarij requirantur, primò quidem consensus tam dantis, quam recipientis, quod contractus est. Secundò, ut fiat in